Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37116
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



et moderatia cohibet in verbis De humilitate

Duodecimus humilitatis gradus est. si in solis corde. sed etiam pro corpore humilitatem videntibus se semper indicet. i. in opere dei. in oratorio. in monasterio. in horto. in via. in agro. vel quocumque sedens. ambulans. vel stans. inclinato semper sit capite. defixis in terram aspectibus. reum se omni hora de peccatis suis existimans. iam se tremendo iudicio dei exhibitum existimans. dicens sibi in corde semper id quod publicanus ille evangelicus fixis in terra oculis dicit. Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad celum. Duodecimus et exterior quoque quod resultat ab ordinatione interiori. complet iste duodecimus gradus. Dicit corde. ne offendat deum. qui cordium est inspector. Dicit corpore. ne fallat proximum qui est recti cordis ignarus. Corde dicit igitur humilem. corpore ad exemplum hominibus exhibendum indicet. i. monstret. in opere dei. i. orando. psallendo. et divinum officium faciendo. in monasterio. i. monasterii clausura. Et quia non sufficit intra monasterium. quoque ista ostendere. et horto quoque non est infra monasterii clausuram. subiungit. in horto.